


Et si alia in priore, alia in posteriore collocatione termini primi ad secundum, & tertii ad quartum est proportio: quæsitum tamen ex utraq; collocatione reperies prorsus idem: quia perinde est, siue tria per sex, siue sex per tria multiples: &c.

Hinc etiam

II. Rectangula æqualia latera habent reciprocè proportionalia: (hoc est, In rectangulis æqualibus habent sese, ut latus minus rectanguli primi ad latus minus secundi, ita latus maius rectanguli secundi ad latus maius primi) & contra. Verbi gratia, in rectangulis æqualibus ABCD & EFGH habent sese:

Vt $\frac{AB}{2}$ ad $\frac{EF}{3}$ ita $\frac{FG}{6}$ ad $\frac{BC}{9}$, &c.



Causa est manifesta ex antecedentibus.

XLIII. Si tres rectæ sint proportionales: (hoc est, si se habeant, ut prima ad secundam, ita secunda ad tertiam) quadratum mediæ, æquatur oblongo extremarum:

Quia enim mediæ bis ponitur, hoc modo:

B VI